



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Laboris varia motiva. Ex Veteri. Novo. Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

L.
TITULUS I.
LABOR.

§. I.

Symbola.

Numerus sextus videtur esse operis, ac laboris; septimus verò repautionis. Origenes tr. 6. in Matth.

Cælum in continuo motu. Lem: *Indefessus agendo.* Picinelli.

Gallina. Lem: *Præbet industria victum.* Prov. 10. 4. *manus fortium divitias parat.* Idem.

Avis in nido ex spinis. Lem: *In labore requies.* Masenius.

§. II.

Laboræ parta sunt chara.

Ex Veteri, & Novo.

Precide tibi duas tabulas lapideas instar priorum &c. Ex. 34. 1. Cur non etiam secundas tabulas præparat Deus, & digito suo scribit; ut in prioribus factum? cur totum Moyfi committitur? Moyfes priores gratis, & sine labore, comparatas fregit: volebat autem Deus posteriores in populo perdurare. Sylveira in Matth. 13.

In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones &c. Num. 11. 5. Mirum, quod Israelitæ peterent cucumeres, & pepones; cum Angelorum escam haberent, *omne delectamentum in se habentem.* Sap. 16. 20. Si enim manna dabat saporem cucumerum &c. quomodo in nausæa est, & olera Ægypti in desiderio? De manna ait Sapia: *præstitisti illis sine labore.* Allia, cæpæ &c. cum labore habebantur: necesse enim, ut proveniant, terram fodere, ferere, irrigare.

Tale est hominum ingenium; manna, licet Angelorum esca, sine labore datum, spernitur. &c. Sylveira in Matth. 13. c. 29. Levissimum quidem deputant cibum, si pondus, atque duritiam, contingat deesse laborum. Petrus Dam. l. 1. ep. 15.

Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas. 3. Reg. 11. 1. Sicut modò multi domini ex Gallia, Italia, Belgio, sponfas quærunt. Pinedal. 7. c. 6. n. 3. de rebus Salomonis: mirum, quod inter hos foeminarum greges nulla mentio Israeliticarum fiat: quia scilicet non placent, quæcunque faciliè obtinentur. Seneca de benefic. lib. 3. cap. 4. novis cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus; non in id, quod est; sed in id, quod expeditur, intenti: quod enim domi est, leve est. Didacus Niss. D. 1. Pasch.

Polyanth. Sacr. Tom. I.

Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; & delicia mea esse cum filiis hominum. Prov. 8. 30. 31. Ipse Deus majorem suavitatem in ijs rebus invenit, in quibus plus laboris. Itaque visa est incarnata Sapia coram æterno Patre oblectari creaturarum suarum specie; sic tamen, ut singularem ex hominum consuetudine caperet voluptatem. Hugo Card. potiùs sunt ei deliciae in filiis hominum, quam in Angelis, vel in alijs creaturis à se conditis: quia de ijs, quæ aucupio vel venatione, capiuntur, sunt deliciae; non autem de domesticis: Angeli autem ad domesticas res pertinent; homines verò venatione prædicationis, & aucupio crucis, cepit. Didacus Niss. D. 1. Quadr. §. 1.

Tenui eum, nec dimittam. Cant. 3. 4. Erigit animum, vires cogit; ne bonum, quod fruitur, manibus elabatur; quod facile contingat, nisi caveat. Sed cur tam tenax in suo voto est? Laboraverat multum in Dilecto quærendo, somnò exeufo urbem oberârât. S. Greg. Naz. orat. 36. fit enim ferè, ut, quod non sine labore partum est, arctius teneatur. Velloso in Judith. 7. Paræn. 8.

Thesaurò abscondito. Matth. 13. 44. Cur thesaurus hic absconditur? quia dulciora, quæ parta labore. Sylveira hic. q. 1.

Ex Patribus, & alijs.

Quæ labore quæsitæ sunt, hæc & jucundè percipiuntur, & diligentissimè conservantur: nam quorum facilis habetur adeptio, eorum sine dubio fastidiosa possessio est. Sanct. Basilius hexam. l. 3.

Quod aliquis celeriter, facileque, adeptus est; id nè retinere quidem magnopere curat. S. Greg. Naz. ad Nemesium.

Contemnitur revera, quæ sunt in promptu, possessio; sed quæ labore parta possidentur, eà verò jucundissima sunt. Theodoretus Prologo in Ezech.

§. III.

Laboris varia motiva.

Ex Veteri.

Transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia, & poteris ultra procedere. Jos. 17. 17. 18. Mons sylvolus industriâ potest domari, ut commodus fiat habitationi. Naxera hic §. 30.

LII 11 2

Erant

Erant inter ascensus, per quos niebatur Jonathas transire ad stationem Philistinorum eminenses petrae &c. Ascendit Jonathas manibus, & pedibus, reptans. 1. Reg. 14. 4. 13.

Homo nascitur ad laborem. Job. 5. 7. Lucifer, quaesivit hic requiem; & ideo miser cecidit, ut in aeternum laboret, ac doleat. Hugo Card. in Gen. c. 1.

Quò laborat sub sole. Eccl. 1. 3. Significat, solem esse laboris moderatorem; dum Oriens excitat homines ad laborem, Occidens ad quietem: dum operantibus lucem, & quasi faciem praefert; dum eos assiduò suò, & velocissimò, motu, ad motum, & laborem, stimulat: sol enim singulis horis conficit unum millionem, & centum quadraginta millia miliarum. Hinc illud Pl. 103. 22. *ortus est sol &c. exhibet homo ad opus suum, & operationem suam, usq; ad vesperum.* Sol ergo est laboris index, Symbolum, stimulus, & exemplum. Cornelius hic.

Nigra sum, sed formosa - quia decoloravit me sol. Cant. 1. 4. Formosam se asserit, cum à sole exuritur? Certè tunc decoratur animus; cum corpus, otio ablegatò, operi incumbit: velut Jacob, qui die aestu urebatur. Gen. 31. 40. Escobar t. 6. Par. Chr. Sect. 4. Obs. 4.

Mitte illam de caelis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tua; ut tecum sis, & tecum labores. Sap. 9. 10. Non petijt à laboribus eximi; sed in laboribus cum Deo sociari? sperans multò sibi jucundius fore, laborare pariter cum Deo; quam sine Deò vacuum omni labore in delicijs vivere. Mendoza in 1. Reg. 8. Annot. 34.

Sedebo in monte testamenti. II. 14. 13. O impudens! ò impudens! millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei; & tu sedebis? Cherubim, ait Propheta, stabant, & non sedebant. Quid laborasti, ut jam sedes? quid seminasti, ut jam metas? S. Bernardus f. de S. Benedicto.

Ex Novo.

Voca operarios. Matth. 20. 8. Cur paterfamilias per se non reddit mercedem operarijs, sicut per se eos ad vineam vocavit? Negotium laboris, & meriti, utpote rem majoris ponderis, per seipsum exequitur; illius verò mercedem, ut quid inferius, Procuratori suo committit. Pluris aestima, labore pro Deo, quam praemiari. Sylveira hic q. 13.

Nolite solliciti esse, - quid manducetis. Luc. 12. 22. Non dixit Dominus, nolite laborare; sed potiùs, nolite solliciti esse: nec enim poterat laborem interdiceret; qui nec etiam in paradiso hominem otiosum esse passus est. Theophylactus hic.

Fatigatus sedebat supra fontem. Joan. 4. 6. Sunt deambulationes laboriosae JESU, praeter ascensus, & descensus; ex quibus fatigatus sedebat &c. ac per hoc Capitis fatigatio membra fatigare justè compellit; ut nec velimus qui-

escere, ubi ipse voluit laborare. Simon Cast. l. 4. c. 9.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Paralyticus sanatus est corpore, & animà à Domino, praescribens rationem salutis animae conservandae: *tolle &c.* Jacueras otio torporis; jam noli lecto otiosus addici, Eusebius Emisl. *surge &c.* id est, non sis otiosus: otiositas enim animae inimica est; quae & vitia nutrit, & virtutes necat. Escobar, t. 6. Par. Chr. Obs. 4.

Ego sum ostromus. Joan. 10. 7. Duo domicilia omnipotens ipse construxerat; unum in labore, alterum in requie, unum ad agonem, alterum ad honorem; unum in virtute, alterum in beatitudine; unum in gratia, alterum in gloria; unum in via, alterum in patria. Nemo Christianus, nisi per Christum; nemo salvus, nisi per Jesum, Id. l. 7. c. 37.

Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1. Tim. 3. 1. Probi Evangelij ministri, opera, labores, incommoda, expetunt, mente ab accubitu, & cathedra, aversa. *Heli sedebat super sellam &c.* 1. Reg. 4. 13. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 2. Sect. Obs. 1.

Ex Patribus, & alijs.

Verè magnum est, & divinum, miraculum; quòd populo pluit Deus manna de caelo: & non laborabat populus, & comedeat. S. Ambros. l. 4. c. 4. de Sacram.

Diligentià, & labore, & donantis Dei beneficio, quidvis ex animi sententia succedit. S. Joan. Damasc. Orthod. fid. l. 4. c. 18.

Fac tu, quod tuum est: nam Deus, quod suum est, facis, absque tua sollicitudine, & anxietate, curabit, S. Bernardus de Consid. ad Eugen. l. 4.

Omnis laboris remedium alterius laboris initium est. Id. f. de primordijs &c.

Si experientiae fidem habeas, pauperulae partus longè facilior est, & dolores pauciores: laborum enim consuetudo facilitatem parit. Quamobrem delicatioribus foeminae medici, priusquam pariendi tempus adveniat, laborem necessario inferunt. B. Theodoretus f. 6. de provid. Dei.

§. IV.

Labor pro Deo solum molestus.

Pergentes, & mugientes. 1. Reg. 6. 12. Similes sumus vaccis, quas Philisthai Arcæ Domini supposuerunt. Proh! quoties graviora traxerunt, & durius laborarunt; nec mugierunt: in stabulo emunguntur, & silent. Tacuissent, credo, si aratrum ducere per diem, noctemque, coactae essent. Arcam sine mugitu non trahunt. Et eas non miror: nam bruta erant. Et forsitan dolebant, à se derelictos vitulos. Nos verò quâ excusatione mugitus nostros tegimus; qui aratrum trahimus non raro læti, & insomnes; arcam verò orationis circumducimus, & mugimus. Oliva l. 4. Strom.

Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum. Matth. 26. 40. Vigilârunt remigando, non orando, Marci 6. 48. *Circa vigiliam quar-*